



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

XII. Constitutio de pace Confluentana sub Ludouico Iuniore Imperatore,
Anni Christi DCCC.LX.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

schali, duo, per populi contentionem fuerant electi, vt dicitur apud Aimoinum lib. 4. cap. 112.) ideo signatè mandauit Lotharius, vt huic, nempe Eugenio, omnes obtemperarent; minimè interim abnuens, similem obedientiam præstandam esse cuicumque alteri legitime electo Pontifici & Eugenij successori.

Illud lepidum est, quod dicit Calvinista, *Eugenium Roma à Lothario Imperij Vicarium constitutum fuisse*. Quis risum teneat, quando hæc tam sinuosa falsitatis diuerticula videt? Quibus, obsecro, verbis *Vicariatus* iste designatur? An quia Pontifici semper priores deferuntur? An quia ab electione Romani Pontificis omnes arcentur, quibus ex sacrorum Canonum præscripto, vt interfint, non competit? An quia mandat, vt omnes Eugenio obediant? O Calvinisticam versutiam, quid non molitur, vt veritatis lucem obfuscet?

CAPVT XII.

Constitutio de pace Confluentana sub Ludouico Juniore Imperat. Anno Christi DCCC. LX.

 STAT hæc seu constitutio seu conuentio apud Illustris. Baronium Tom. 10. Anno Redempt. DCCC. LX. Ex quo eam Calvinista exscripsit: nec tamen eruditissimo Baronio aliud Minerual dependit, quàm conuicia & calumnias: An non enim calumnia insignis, cum ait, *Baronium huius cōtrouersia inter Principes a què cum ignarissimis scientem esse, eo quod dixerit, hanc pacem factam inter quinq. Reges, Carolum & Ludouicum nepotesq. ipsorum Lotharium, Ludouicum & Carolum.*

Si

Si Baronius propterea culpandus est; culpentur, atque adeo lædoriis & probris proscindantur Annales Francici à Pithæo euulgati, qui ista à Baronio itidem Anno DCCC. LX. recitata, *Ludouicus Rex & Carolus frater eius, neposq; eorū Lutharius, &c. Amodo & quamdiu vixero, (formula iuramenti à Ludouico præstiti) istum fratrem meum Karlum, & nepotes meos Ludouicum, & Lutharium, atque Karlum, &c. neque in membris; neque in regno illorum eos forconciliabo, &c.* Dic Calvinista, an non hîc quinque habemus Reges? Ludouicum Regem Germaniæ & Carolum Regem Francorum fratres: Et horum nepotes, Lotharij Imp. filios, Ludouicum Regem Italiæ simulque Imperatorem, & Lotharium Regem Lotharingiæ; & Carolum Regem Prouinciæ? Audi, Calvinista, Reginonem. *Anno Domini Incarnationis DCCC. LV. Lotharius, conuocatis primoribus regni, imperium filiis suis diuisit, Ludouico Italiam tradidit, eumq; Imperatorem appellari fecit: AEquiuoco vero idem Lothario, regnum, quod ex suo nomine vocatur, concessit; Carolo autem qui iunior natus erat, Prouincia regnum largitus est.* Habemus ergo quinque Reges. Quid igitur Calvinista in Baronio ob quinque Reges vellicat & morsicat? Nam quod Regino mortem Caroli refert ad annum DCCC. LVIII. id aduersatur Annalibus Francicis, & Actis ad Confluentem Anno DCCC. LX. quibus potius habenda fides.



CAPVT